POSTULATA.

In dato plano,

1. A dato puncto, ad datum punctum rectam lineam ducere.

Cautio. In praxi quo longius distant duo puncta, eo rectius & securius recta linea ducitur.

2. Datam rectam terminatam, per alterutrum terminum in infinitum producere. *quoquaque necesse est*

3. Ex dato puncto ut centro, ad datum intervallum, sive ad datam semidiametrum, peripheriam describere.

Prioribus duobus postulatis regula seu amussis, cum stylo satisfacit; tertio circinus. Examen autem regulæ ex definitione rectæ manifestũ est. Si enim recta AB in amussi sitã congruit cũ recta CD in plano sitâ, etiã AB congruet cũ DC.

PROBLEMATA.

1. A rectâ interminatâ datâ AB, ex dato in eâ puncto A, rectam abscindere, quæ æqualis sit rectæ terminatæ datæ CD.

Constructio. Intervallo CD, ex centro A per postul. tert. describatur arcus EF rectam interminatam secans in G: erit AG pars desiderata.

2. A datâ peripheriâ AB ex dato in eâ puncto A arcum abscindere, arcui dato æquiradio CD æqualem.

Eadem prorsus est constructio, quæ in præcedenti. intervallo CD, centro A describatur arcus EF, datam peripheriã AB secans in G. Dico segmentum sive arcum AG, esse eũ qui requiritur.

3. Ad datam rectam AB, &(futurum) verticem datum A, angulum dato angulo rectilineo DCE congruũ construere.

Laxa-